B. N. C.
FIRENZE
1035
34

A I

P. IO. BAPTISTAE FERRARII
E SOCIETATE IESV
DE CHRISTI LIBERATORIS OBITV
ORATIO

IN SACELLO PONTIFICVM VATICANO ipſo Paraſceues die habita.

1035.34

BIBLIOTHECAE FLORENTINAE PVB.
BIBLIOTECA ... 1872

ROMAE, Typis Alexandri Zannetti. MDCXXIII.

SVPERIORVM PERMISSV.

Mutius Vitelleſcus, Societatis Ieſu Præpoſitus Generalis.

FAcultatem concedimus, vt Oratio de Paſſione D. N. Ieſu Chriſti, P. Io. Baptiſtæ Ferrarij noſtræ Societatis typis mandetur, ſi ita Reuerendiſs. D. Viceſgerenti, & Reuerendiſs. P. Magiſtro Sacri Palatij videbitur. Romæ 29. Aprilis 1623.

Mutius Vitelleſcus.

Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſs. P. Magiſtro Sacri Palatij Apoſtolici.

A. Epiſc. Hieracen. Viceſg.

Imprimatur.

Fr. Dominicus Paulaccius Magiſter, & Socius Reuerendiſsimi P. Fr. Nicolai Rodulfij Ord. Præd. Sacri Palatij Apoſtolici Magiſtri.

ORATIO.

ERVMPE tandem, erumpe quà licet, ex ore, ex oculis, ſine Rhetorum fuco incomptus, ſine partitionis ordine incompoſitus, Deo moriente, parentalis dolor. Leuiter dolet B. P. dolorem quicunque ſuum poteſt ordinare. Hæc vna triſtiſſimam orbitatem decet eloquentia, confuſa cum rerum vniuerſitate flebiliter tumultuari. Quanquam vtinam confundi omnia, perturbariq. tum primùm cœpiſſent, cùm meridiana decolor nocte dies expalluit: cum trepido tumultu dehiſcens terra nutauit. Tum ſanè, tum potiùs peſſundatus rerum ordo eſt, cùm viliſſima ſubijt ſupplicia reus apud homines Deus. Hoc igitur lugubre argumentum exlex indicit dolor perorandum, ad clepſydram lacrymarum. Ecce autem hodierna rerum confuſio nocturno prodigio prænuntiatur: ecce verno ſub ſydere, florido anni tempore, in horto Gethſemani, ſanguine pluit. Et hactenus quidem, inter hortos: inter hoſtes nunc impenſiùs exangui deſudandum eſt. Iamq. illi proxima in arena circumſiſtunt cum facibus, & armis. Faces equidem iſtas tenebricoſo Inferorum igne crediderim eſſe ſuccenſas, quæ clandeſtinum ad ſcelus ita præluxere vobis, nocturnæ furiæ; vt obuium noctu Solem non agnoueri-

tis. At bene eſt: pœnituit crudelitatis: clementer cum illo agitur: non vulnere, ſed oſculo excipitur. O facinus ab ipſa humanitate barbarum! O crudeliſſimo dignam proditore clementiam! Exclamare libet, Vbi mors non eſt, ſi in oſculis eſt? Iam verò maximus ille, qui cælum, ac terras implet, Imperator ad implendas catenæ ſeruilis infames anguſtias redactus, crudelitatis præda rapitur per triumphum. Ac ne ſummum ſcelus non ritè fiat, è lictorum fæce audaciſsimus neſcio quis, tanquam ſcurra triumphalis Deo captiuo inſultans, ad riſum Pontifici, ad plauſum ſibi captandum, ſonoram alapam infringit. Alapis (miſerum me!) in terris plauditur ad ſalutem, lapſo terrarum Deo. Verùm hæc per ludibria luſit furor: feriò tandem ſcelus aggreditur. Ne ſæuiſſimi virgatores, ne Regum Regi auguſtiſsimo veſtem detrahite, quam illi vnam in rerum omnium inopia plebeium ad integumentum profuſa in alios ipſius charitas reliquit. Ne ſpecioſum forma præ filijs hominum frequentiſsimo in theatro denudate, cuius formoſiſsimus pudor oculorum coniectu grauiùs, quàm verberum ictu vapulabit. Vates infœlix ego ſum. Ecce delicatiſsimi ſenſus verecundia ſubito rubore ſuffuſa cruentatur. Heu ſatis, ſuperque publico dedecore modeſtiam vulneraſtis. Quid expeditis prętere virgis valentiſsimi tenerrimum in corpus carnifices innocentiam excarnificatis? Vtinam liceret & tibi, Domine Ieſu, ad ſeruilis lanienę declinationem vocem illam ingenuam, & compluribus ſalutarem vſurpare, Ciuis Romanus ſum: ſed ſuperſtitionum

num id temporis omnium commune Aſylum Romanis falſis addicta numinibus verum oblita Deum erat ciuitate donare. Extabeſcite iam in lacrymas oculi, quando diuini corporis niues prodigioſi furoris æſtu ſoluuntur in ſanguinem. Ne, quæſo vos, ne vlteriùs lictores. Ad terminales dolorum columnas per Oceanum ſanguinis ventum eſt. Neque enim vna, ſed geminæ videntur in illo verberum turbine, in illa ſanguinis alluuie fixæ columnæ: quarum altera è duro marmore miſericordia mollita non diſſilit, quia ſenſu doloris obriguit: altera in vulnus molliſſima, in tolerantiam planè marmorea, quamuis acciſis viribus, inuictæ tamen fortitudinis mole ſua ſtat. Age immenſa pœnarum ſpatia fortiter emenſe perge iam ad coronæ præmia Ductor fortiſſime, quæ militaris tibi plauſus adornauit. Sed quid coronamenti hoc eſt? Hoc deerat etiam hodiernæ portentis immanitatis, vt diuina non ſtellis, ſed ſpinis tempora radiarent. Quanquam mirandum non eſt; quoniam roſas, antequam marceſcerent, in ſui coronam luxus præcerpſit; ſolas coronandæ ſpinas innocentiæ ſuperfuiſſe. Regnandum coronato eſt. Regnum igitur in terris cape, ſed coronæ ſimile, ſyderum Imperator. Enimuerò aprico iam in colle ſublimis, atque ſpectabilis regnas. Iam diſpergis cum Sole manus. Hoc tamen à Sole diſtas, quòd vtrinque occidis. Vtrinque enim occidentis vitæ fines trabalibus clauis acuta ſenſus præfigit acerbitas. Neque verò ſummos inter cruciatus Rex noſter otioſus eſt. Placetne noſſe, ſuburbano Caluariæ in regno quid rerum agat? Arborem ferit alteri ſęculo profuturam:

futuram : regalemq. laudem illam iure vſurpat, Hæc mea manu eſt ſata. At ò tragicas Regis vices! In ipſa, quam ſeris, arbore vitæ occidis. Tu verò indigniſſimum iſtum, ſempiterne Rex, occaſum conqueſtus expiras. Audiuit rerum vniuerſitas Regis ſui moribundam conqueſtionem : atque, vt morienti Deo pro viribus iuſta perſoluat, rerum ordine conuulſo funditus tremefacta, & meridianis tenebris flebiliter atrata parentali nænia vlulauit. In communi rerum omnium ſtrepitu vocem præcludit orationi dolor. Quare priuatum, & mutum dolorem hunc meum publicus naturæ vlulatus perorabit. Dixi.

LAVS DEO, B. V. M.

1035 14

99 956772